



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXVII. Aspectus & consideratio crucifixi Jesu optimus est iræ
& iracundiæ sedandæ Medicus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

En Iesus tuus & hic crucifixus in sacris suis imaginibus adhuc hodie tua & quidem sanguineis lacrymis deplorat peccata, & tu peccator inveterate, adhuc stas immotus? Cur non exclamas in animo contrito & humiliato cum Vate Threnologo: *Quis dabit ca i in meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectum in cruce amantissimum Redemptorem meum.*


Hier. 9. 1.

Joa. 4. 6.

S. Ant. Pad.
hic.

Olim Iesus *fatigatus ex itinere sedebat super fontem*, & quidem hora sexta diei, expectans conversionem & lacrymas unius peccatricis animæ. S. Antonius Paduanus per hunc fontem crucem intelligit, in qua te etiamnum expectat, anima Christiana, sitiens lacrymas tuas mitissimus Iesus: Et nondum vis venire?

Ah nondum?



CONSIDERATIO LXXVII.

Aspectus & consideratio crucifixi IESU optimus est iræ & iracundiæ sedandæ medicus.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Hebr. 12. 3.

I.

DAvidi Regi in fuga contra faciem Absalonis nudis pedibus montem Oliveti ascendenti, & amarè suam ac subditorum miseriam deploranti occurrebat Semei, homo protervus & irâ percitus, plura maledicta ac convicia in Regem suum fulminans, imò & lapides in illum mittens: *Et maledicebat, mittebatque lapides contra David.* Quid ad hoc Rex mansuetissimus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Voluit quidem Abisai hunc rabidum canem ad condignam deposcere necem, illique amputare caput, sed prohibuit Rex: *Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutionem.*

2.Reg. 16. 5.
Psal. 131. 1.

Psal. 37. 14.

En perfectissimum typum Christi Domini, Filii Davidis, quomodo ira sit refrananda, & quomodo irato ac insano homini sit ob-

viandum, de quo mitissimo orbis Servatore præclare S. Petrus: *Qui 1. Petr. 2. 23.*
cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: trade-
bat autem iudicanti se injuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super
lignum, ut peccatis mortui, iustitia vivamus, cujus livore sanati estis.

2. Moyses Hebræorum dux ac legifer olim ante tabernaculi fo- *Exod. 38. 8.*
res speculum perlucidum appendit, in quo tabernaculum Dei ingressu-
ri se prius inspicerent, & si quid incompositum ac maculatum in cor-
pore suo reperirent, in labro lavatorio non longe ab ejusmodi specu-
lo posito emendarent.

Speculum in cubili nostro sit crucifixus Jesus, cujus imago sem-
per in conspectu nostro pendeat. Cum ergo subinde contrarii exur-
gunt adversitatum fluctus, & nobis maledicunt Semei scelerati, ne,
quæso, simus ut fatui, quia *fatuus statim indicat iram suam*, sed deprima- *Prov. 12. 16.*
mus iræ motus, quia satius est ignominiam sibi illatam juxta exem-
plum Christi occultare, & condonare, quàm commemorando reno-
vare & augere; unde rursus S. Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis 1. Petr. 2. 21.*
relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Audis hoc irate?

3. De Tigride habet Job: *Tigris perit, eo quod non haberet prædam.* *Job. 3. 11.*
Ex quo patet, quod sit animal voracissimum, ferocissimum, ac sævis-
simum, sitiens semper humanum cruorem. De quo ulterius referunt,
quod per solum speculum immanis illius ira frangi ac mitigari possit,
dum enim ad prædam excurrit, interim venatores rapidissimo equo-
rum cursu ad illius cavernam feruntur, ejusque catulos rapiunt, quo-
rum loco speculum appendunt, in quod tigris mater, rediens de præ-
da, sollicitè intuens, atque se ipsam in illo conspiciens, credit adhuc
ceteros superesse catulos, & sic facili modo placatur, feramque de-
ponit iram.

Homo Christiane! si adversus proximum tuum degenerasti in fu-
rentem tigridem, inspicere prius, antequam irascaris satis, in speculum
non fallax, crucifixum Jesum tuum, eumque impensius contempla-
re, & videbis, quod nullus sit efficacior iræ sedandæ modus, quàm
pia illius contemplatio. Ita S. Ambrosius: *Si passio Redemptoris ad me-* *S. Ambros. tr.*
moriã reducatur, nihil tam durum, quod non a quo animo toleretur. Ita S. El- *de conflictu*
zearius Comes Arriani iram domuit, quoties enim aliquid injuriam *virtutum &*
sibi dici, vel fieri sentiebat, sine mora ad Christum crucifixum con- *vitiõrum,*
fugiebat, nec ab ejus cessabat consideratione, donec tantæ patientiæ *Sur. in Vita.*
exemplo, motus iræ subsideret, ac pristina rediret animi tranquillitas.
Imitare illum, si iratus es.

4. Jacob Patriarcha ubi tunicam filii sui Joseph in sanguine hæ-
di intinctam, ac fœde dilaceratam conspicatus est, non sine lacrymis
& vehe-

Gen. 37. 33. & vehementi animi dolore exclamavit: *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Hæc fera pessima ira fuit & invidia fratrum erga Joseph, quia à patre plus diligebatur. Similis fera pessima (ira & invidia) devoravit Filium æterni Patris, eumque in crucem egit; unde de Pilato iudice Romano Evangelista commemorat:

Matth. 27. 18. *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.* Joseph, quia fratrum suorum iracundiam patienter sustinuit, ad summum gloriæ apicem sub-

Gen. 41. 40 *limatus est: Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Plus Christus in cælo fuit exaltatus, quia patientissimo animo Judæorum iræ cedebat & invidiæ. Joseph jam Pro-Rex ubi se fratribus aperuit, eosque cum muneribus ex Ægypto ad patrem remisit, præcepit illis: *Nè irascamini in via,* noverat enim illorum litigiosam mentem ac indolem. Hoc idem nobis Christus de cruce dicit: *Nè irascamini;* underectè S. Joannes Chryostomus: *Si succendi cor tuum in senseris, pectus continuò signaculo crucis signato: repete memoriã, qua tunc (in Passione) facta fuerunt; & ira illicò, tanquam pulvis dissipabitur.*

Gen. 45. 24.
S. Chryost
ho. 88 in
Matth. c. 27.

5. Et quid, obsecro, magis nocere potest corpori & animæ hominis, quàm ira nimia & immodica? Olla fervens est, succensa & æstuans, nil nisi eructans fæces: homo iracundus contra Deum & homines diras evomit blasphemias. Vipera est in partu matrem necans: ira corpus & animam perdit. Venenum aspidum est insanabile cor hominis irati corrodens, atque consumens: ira similem præstat effectum, ô quot jam in Tartarum ablegavit? Hostis est humanæ vitæ, quia mutuam tollit dilectionem, tunicamque Christi inconsutilem dilacerat, quam Dominus indivisam voluit in sua Ecclesia remanere, hoc est mutuam charitatem. Bestia denique est, auferens imaginem Dei, ad quam homo creatus est, & imprimens animo illius caracterem bestię, id est, diaboli. Procul igitur ab hac bestia, procul ab ira immoderata: *Sol non occidat,* ait Apostolus, *super iracundiam vestram.*

Ephes. 4. 26.

6. Audi quid S. Birgittæ acciderit. Vidi quondam Romæ in templo S. Pauli Ap. antiquissimam Christi crucifixi imaginem in die Parasceve in altari dextro, lugubri & atro ornatu inter quamplurimas accensas candelas ad venerationem fidelibus expositam, coram qua venerabili effigie S. Birgitta Suecica in terra humiliter prostrata sapius humillimas fundebat preces; ad quam aliquando benignus Dominus vultum, faciemque revolvens dixit, atque propter levem iræ motum eam paternè monuit: *Ego creator & Sponsus tuus propter te sustinui verbera; tu verò impatiens ad eum fuisti, ut verba portare non potueris. Ego stans ante iudicem tacui, & non aperui os meum; sed tu acerbius respondendo, & exprobrando vocem tuam nimis exaltasti. Tu debueras omnia patienter tolerare propter me,*

Lud. Blof.
c. 4. Monil.
Spir.

qui clavis affixus sui pro te, debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo posthac cautior, & ubi ab aliquo ad iram provocata fueris, non facile loquaris, donec ira ab animo tuo recedat; transactâ autem animi commotione, & causâ ipsius commotionis diligenter pensatâ, poteris loqui cum mansuetudine. Quod si loquendo nihil proficeres, & tacendo non peccares, melius faceres, & maius meritum acquireris, si sileres. En hic habes anime mi, perfectum iræ sedandæ modum, & quidem ab ore veritatis, crucifixo Jesu.

7. Imaginare tibi Samsonem, cui Philistæi ambos eruerunt oculos, & sic clausum ac cæcum in carcere molere fecerunt; ad instar equi, cui operiuntur oculi, ut in molendino expeditius per totum diem circumbeat, & gravissimam trahat molem. Sic per iram, ait Bellovacensis, gratiæ lumen amittitur, & mentis excæcantur oculi; cæci enim sunt omnes immodicè & injustè irati, propriam non videntes miseriam, atque sic velut impii in circuitu ambulant, nec ulterius in virtutè progrediuntur. Sursùm ergo corda omnes illi, qui facili de causa proximo suo solent irasci: *Uti mens*, ait S. Gregorius, *solicita, antequam aliquid agere incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat: quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet. Jacula enim pravis minus feriunt.* Adverte ani me mi, ut statim atque moveri te sentis, iram cohibeas, & si internam commotionem fortasse sedare non possis, saltem linguam contineas, interim aspiciens crucifixum Jesum, quid ille in passione sua fecit: *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Jesum.* O quàm felix, si ista feceris.

8. Talis fuit ille Nobilis in Villa de Albayda, in quo loco S. Ludovicus Bertrandus Ord. Præd. concionem fecerat, ac publica hominum peccata acriter castigaverat. Erat tunc in concione Nobilis Eques, qui reprehensionem velut uni sibi factam assumens, servum suum ad S. Virum amandavit, ut dicta in concione in cathedra publicè revocaret, nisi mortem certò vellet expectare. Cui S. Bertrandus magna cum modestia: *Tuo, inquit, Domino renuntia, felicem me fore, si in tali causa vitam & sanguinem potero profundere;* quo accepto responso homo ille Nobilis, irarum turbidus æstu, ad cœnobium PP. Dominicanorum equò vectus properat, Patrem invenit: Et tunc, inquit, Frater, ausus es me in publica concione reprehendere; Et dicto citius sclopum brevem in pectus ejus laxat, & explodit. Et ecce ingens prodigium! Dum Sanctus iste Signum crucis super injustum aggressorem facit, sclopus ille repenti in effigiem crucifixi convertitur, quo miraculo homo nefarius permotus, ad S. Viri pedes provolutus, omnem iram deposuit, veniamque submississimè rogavit. Disce ex hoc: *Desine ab ira, & deselinque furorem.*

ira, & deselinque furorem.

O o 3

CON-

Judic. 16. 21

Bellovacensis. l. 3. pcc. 1. p. 1. hist. 1.

S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 32.

Hebr. 12. 2.

Ex Vita S. Bertrandi O. P.

Psal. 36. 8.